



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1626**

Navmachia Brvti cnm Massiliensibus, Cæsar. lib. 1. de bello ciuili.  
Descriptio CXLVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68724)

## P R A E L I V M.

Ex varijs Poetarum Græcorum & historicorum sensibus, maximè verò Libanii, qui in *ἔκφρασι πελοποννησιας* id prolixè describit.

## Descriptio CXLVII.

**I**N lato, patentique campo instruitur acies, stant in procinctu milites, ex hac parte glomerari inter se pedites, pes pedi, vir viro, clypeus denique clypeo confertus adhæret. Ex illa alarum vice explicantur equites, cristasum vmbriis opacati, ære, ferroque cataphracti, vnus est omnium ardor, & scintillant oculi, spirat in vultu furor Martius, fiduciaque permixtus horror, virtutem quasi subditis stimulis incitat: hinniant interim equi, volitant signa, fulgent gladij, concinunt litui, clangunt tubæ, & immani quodam strepitu tympana personant: iam congressus, iam pugna, etiam pulueris nubes, varijque discursus: iamque tormentorum flammæ, & fragores, missiliumque globulorum concitata gradines: mox collisæ inter se in modum rostratarum nauium acies; trudunt, trudentur, feriunt, cædunt, vicissimque feriuntur, & cæduntur; alternis veluti fluctibus reciprocatæ: sequuntur inde varia, quæ solent fortunæ ludibria, cædes multiplices, deuictorum fuga, clades nunc singulorum, nunc vniuersorum: eques, pedesque confusi, armatis incermes, integris debiles impliciti, equi suffossi, in cruore lapsantes, trunca capita, succissi poplites, spirantia cadauera, morientium gemirus, insulantium clamores: atque inter hanc rerum faciem flumen exundans sanguinis.

NAVMACHIA BRVTI  
cum Massiliensibus, Cæsar. lib. I.  
de bello ciuili.

## Descriptio CXLVIII.

**D**Vm hæc ad Ilerdam geruntur, Massilienses vsq. l. Domitij consilio, naues longas

expediunt, numero xvii. quarum erant xi. rectæ. Multa his minora nauigia addunt; vt ipsa multitudine nostra elassis terreatur, magnum numerum sagittariorum, magnum Albicorū imponit; atque hos præmijs, pollicitationibusque incitant. Certas sibi deposcit naues Domitius, atque has colonis, pastoribusque quos secum adduxerat complet. Sic, omnibus rebus instructa classe, magna fiducia ad nostras naues procedunt, quibus præerat D. Brutus, hæc ad insulam quæ est contra Massiliam, stationes obtinebant. Erat multo inferior numero nauium Brutus, sed delectos ex omnibus legionibus fortissimos viros antesignanos, cæturiones Cæsar & classi attribuerat, qui sibi id muneris depoposcerant, ij manus ferreas, atque harpagones parauerant, magnoque numero pilorum, tragularum, reliquorumque telorum, se instruxerant; ita cognito hostium aduentu, suas naues ex portu educunt, cum Massiliensibus conflagunt. Pugnatum vtrique est fortissimè, atque acerrimè, neq. multum Albici nostris virtute cedebant, homines asperi, & montani exercitati in armis; atque ij modo digressi à Massiliensibus recentem eorum pollicitationem animis continebant; pastoresque indomiti spe libertatis excitati, sub oculis domini suam probare operam studebant. Ipsi Massilienses & celeritate nauium, & scientia gubernatorum confissi, nostros eludebant, impetusque eorum excipiebant, & quod licebat, latiore spatio, producta longius acie, circūuenire nostros, aut pluribus nauibus adoriri singulas, aut remos transcurrentes detergere, & possent, contendebant: cum propius erat necessario ventum, ab scientia gubernatorum atque artificij, ad virtutem montanorum confugiebant. Nostri quod minus exercitatis remigibus, inuisque peritis gubernatoribus vtebantur, qui repente ex oneratis nauibus erant producti, neque dum etiam vocabulis armamentorum cognitis, tum etiam grauitate & tarditate nauium impediuntur. Factæ enim subito ex humana materia, non eundem vsus claritatis habebant. Itaque dum locus comminus pugnandi daretur, æquo animo obieciebant, atque iniecta manu ferres, & retenta vtraque naue, diuersi pugnabant, atque in hostium naues transcendebant; & magno numero Albicorum & pastorum interfecto, partem nauium deprimunt, nonnullas cum hominibus capiunt, reliquas in portum compellunt.

DAVI.